





7  
1764  
3

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOSOPHICA,  
DE  
**SVMMO GRADV AMORIS**  
QVO  
**DEVM PROSEQVI OBLIGAMVR,**

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,

PRAESIDE  
**GEORGIO FRIDERICO MEIER,**

PHILOSOPHIAE PROFESS. PVBL. ORDIN.  
ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALI

PRAECEPTORE ATQVE PATRONO  
AETERNV M PIE COLENDO,

AD  
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES ACQVIRENDOS

DIE JULII MDCCCLXIV.

H. & L. C.

PVBLICE DEFENDET,

AVCTOR

**CAROLVS FRIDERICVS BÜTTNER,**  
POTSDAMIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.

ALYMO GRADA-AMORI  
DEAN FLOTTING QBLIDMTR  
ALYMO GRADA-AMORI  
DEAN FLOTTING QBLIDMTR



DE  
SVMMO GRADV AMORIS, QVO DEVM  
PROSEQVI OBLIGAMVR.

§. I.



uum amor alicuius obiecti sit gaudium de perfectionibus eius, gaudium autem adpetitio fortior: Deum amamus, si fortius, seu in maiori gradu adpetimus voluptatem ex perfectionibus eius hau- riendam. Hic amor proxime tendit ad voluptatem hanc in mente nostra produ- cendam ac continuandam, remotius autem ad summam Dei perfectionem externam promouendam; interna enim Dei perfectio infinita est prorsus & omnino independens.

§. II.

Iure nostro in hac nostra tractatione obligationem na- turalem ad amorem Dei supponere possumus. Lex na-

A 2 tura,

turalis, quae omnes homines, qui vsu libertatis gaudent, obligat, postulat: ut homo omnia amore digna, quorum ignorantia ipsi non est invincibilis, amet. Iam cum Deus non solum amore dignus sit, sed etiam ab homine, qui vsu intellectus ac libertatis gauder, cognosci possit: per legem naturalem omnis homo ad Deum amandum obligatur.

### §. III.

Tota religio seu complexus omnium officiorum, quae Deo debemus, consistit in gloria Dei & illustratione eius, seu in cognitione viua perfectionum diuinarum. Cognitio viua perfectionum est voluptas. Hinc omnis religio consistit in voluptate ex perfectionibus diuinis, quatenus a libertate nostra pendet, hinc quatenus per libertatem nostram producitur ac continuatur. Dependere ergo haec voluptas ab adpetitione nostra, & per vires nostras mediante concursu diuino existere debet. Adeoque pater, tam religionem, quatenus est officium hominis, consistere in adpetitione maiori, quia debilis non sufficit, voluptatis ex perfectionibus diuinis. Amor ergo Dei est essentia totius verae religionis, quatenus haec est officium, ad quod homo obligatur.

### §. IV.

Per legem naturalem non solum obligamur ad religionem, sed etiam ad summum gradum religionis, qui nobis absolute physice & moraliter possibilis est. Quo maior ac perfectior est amor, quo homo Deum prosequitur, eo maior est eiusdem religio. Lex ergo naturalis non tantum ad quemlibet amorem Dei obligat, sed etiam ad summum & perfectissimum eius gradum, qui homini cuilibet possibilis est. Vere & sincere Deum amans tamen peccat, si eundem non tantum amat, quantum ipsi possibile est.

### §. V.

## §. V.

His ex Ethica philosophica praemissis accedamus ad materiam tractationis nostrae. Vberius explicabimus summum gradum amoris, qui est officium hominis erga Deum. Et ad hunc gradum referimus: 1) ut amor Dei oriatur in homine pio ex summa delectatione, quam homo ex perfectionibus diuinis earumque intuitu haurit, 2) ut sit constantissimus, 3) ut sit tantus, quantus per vires humanas esse potest, 4) ut homo Deum amet super omnia, & quod praeципue notandum, 5) ut homo Deum solum amet.

## §. VI.

Quo maior est voluptas, qua amans per intuitum perfectionum fruatur, eo maior est amor. Summus amor Dei non potest in homine existere, nisi in summo gradu, qui per vires humanas possibilis est. Deo delectetur. Ad hanc summam voluptatem ex perfectionibus diuinis hauriendam ante omnia requiritur, ut ex completa perfectionum diuinorum cognitione, quatenus per imbecillitatem intellectus humani possibilis est, oriatur. Summus gradus amoris non potest in homine existere, qui non tot perfectiones Dei ardenter cognoscit, quot cognoscere potest, & qui non tot de qualibet perfectione diuina cognoscit, quot cognoscere valer. Ad hunc gradum summi amoris Dei non sufficit si perfectiones Dei, quas intuemur, ut Deo inherentes spectantur; sed praecipue spectandae sunt ut operantes & omnem prouidentiam & omne bonum contingens, quod in mundo optimo existit. Ergo summus gradus amoris physice in homine impossibilis redditur qui non semper & ubiuis, in omnibus rebus & mutationibus, ad hunc mundum pertinentibus, perfectiones diuinæ intuetur. Auctor vniuersi perfectissimus,

◊ ◊ ◊

se in omnibus ac per omnia, quae ad hunc mundum perti-  
nent, summe amandum sistit & semper manifestat. Et hoc  
ardenter cognoscere debet omnis ille, qui Deum tantum ama-  
re cupit quantum obligatur.

### §. VII.

Voluptas eo maior est, quo nobilior & quo magis ob-  
iecto proportionata est. Summus amor certi alicuius obie-  
cti neque maior neque minor esse debet, quam dignitas hu-  
ius obiecti requirit, hinc ex voluptate obiecto proportionata  
orientur necesse est. Iam fieri nequit, ut homo magis Deo  
delectetur, & eundem magis amet, quam gradus perfectio-  
num eius infinitus postulat; & eandem ob rationem creatu-  
ra Deum tantum amare nequit, quantum meretur. Sum-  
mus ergo gradus amoris, ad quem homo obligatur, tantum  
requirit, ut in delectatione, quam ex intuitu perfectionum  
diuinorum haurit, sedulo omnes viles, abieetas, pueriles, &  
maiestate diuina indignas cogitationes viter. Amaturus  
Deum in summo gradu magnificet eundem in cognitione  
sua, & non nisi nobiles & sublimes cogitationes de Deo &  
diuinis in mente sua excitet foueatque.

### §. VIII.

Voluptas, vel ex toto adparens & falsa vel ex parte &  
crassa, non potest excitare amorem obiecti, nisi vel prorsus  
vel ex parte erroneum & minus fundatum. Deus, summe  
ab homine amandus, verissimo amore prosequendus est.  
Hinc summus gradus amoris, ad quem homo per religio-  
nem obligatur, non potest existere, nisi per verissimam & ex-  
cellissimam cognitionem omnium eorum, ex quorum intuitu  
oritur voluptas summa, fons amoris Dei summi. Omnis er-  
ror in cognitione Dei diuinorumque vincibilis, & omnis crassa  
eorum.

corundem perceptio, quam euitare potuisset errans, impedit  
in errante summum gradum amoris ad quem per legem na-  
turee obligatur.

### §. IX.

Quo clarior, distinctior, viuidior & quo magis ratio-  
nabilis est voluptas, ex qua amor nascitur, eo maior est &  
voluptas & amor inde oriundus. Summus gradus amoris  
non potest in homine existere, nisi per clarissimam, distin-  
ctissimam, viuidissimam & maxime rationabilem cognitio-  
nem omnium eorum, quae ipsi Deum amore dignum fiantur.  
Amor Dei, qui vel prorsus vel ex parte coecus est, & coe-  
cum dicimus, quatenus ex obscuritate cognitionis diuino-  
rum vincibili oritur, ex parte saltim illegitimus est. Sum-  
me Deum amatus praecipue eundem amet amore libero  
& rationabili, & simul affectum amoris sensituum in Deum  
dirigat, ut adgregatum amorum fiat fortissimum.

### §. X.

Summus gradus amoris Dei oriatur ex summa conui-  
ctione de omni illa cognitione, quae Deum ut ens, in maximo  
gradu amandum, ficit. Omnis incertitudo in cognitione Dei  
& diuinorum, quae ab homine euitari potuisset, impedit in  
codem summum gradum amoris, ad quem lex naturae ob-  
ligat.

### §. XI.

Tandem summus gradus amoris Dei impossibilis est,  
nisi oriatur ex ardentissima cognitione omnium eorum, quae  
de Deo eiusque perfectionibus cognoscuntur. Omnis theo-  
logica speculatio, omnis diuinorum cognitione mere symboli-  
ca, quae euitari possunt, indifferentiam erga Deum efficiunt  
illegitiman, & impediant summum gradum amoris Dei,  
ad

◊ ◊

ad quem homo obligatur. Ex haec tenus dictis patet evidenter, non posse hominem, saeteroquin vere pium, Deum in debito gradu amare, nisi cognitio eius theologica fuerit perfectissima & omnibus numeris completa. Omnis imperfectio cognitionis theologicae, quam homo cuitare potest, impedit debitum amorem Dei, adeoque summum gradum pietatis, ad quem homo obligatur.

### §. XII.

Alterum, quod ad summum gradum amoris, quo Deum homo amare tenerur, referendum est, consistit in constantia huius amoris §. 5. Amor Dei non potest esse summus & perfectissimus, nisi simul fuerit constantissimus, & nisi per omnem vitam hominis in aeternum continuetur. Ponatur homo Deum certo aliquo tempore amans, quantum potest, hinc in summo gradu, ad quem respectu illius temporis obligatur, cesser autem & interrumpatur hic amor: succeder eidem vel indifferentia erga Deum, vel odium & fastidium Dei diuinorumque. Hinc amor, quo hic homo prosequitur Deum non potest esse tantus, quantus per legem naturalem requiritur. Omnis homo, omni momento, quo obligationis capax est, Deum tantum amare debet, quantum ipsi quous momento possibile est. Hinc amor Dei summus perpetuo continuandus est, ita ut omni momento hic amor in vere pio existat. Lubenter concedimus, impossibile esse per humanam naturam, ut amor in eodem prorsus gradu semper perduret; uno momento erit clarior altero obscurior, mox intensior, mox remissior, & quae sunt reliquae mutationes diuersorum graduum unius eiusdemque amoris, perpetuo & sine vila interruptione perdurantis. Omnis ille amor Dei, ad quem homo obligatur, nequit uno eodemque tempore in eodem

eodem existere; sed tota vita hominis, & ipsa aeternitas, necessaria est, ad successive sed constanter & perpetuo actuandum hunc amorem.

### §. XIII.

Requiritur tertium ad maximum amoris Dei gradum, ut quoquis momento tantus sit, quantum per omnes vires hominis esse potest §. 5. Omnis amor est appetitio, hinc actio, quam anima per usum virium suarum actuat. Iam omnis appetitio est aequalis viribus viuis, quibus actuatur. Ergo amor est tantus nec maior nec minor, quantum est usus virium, quo in amante actuatur. Iam vires cuiuslibet hominis sunt omnimode determinatae, hinc certo gradu praeditae, ita ut in homine uno sint maiores, quam in altero. Hinc plures homines non possunt obligari, ad aequalem amorem Dei. Amor qui in uno homine est summus, in altero non est summus, ad quem uterque obligatur. Si quis igitur obligatio- ni naturali satisfacere, & Deum in summo gradu amare voluerit, hic amor gradui virium, quibus praeditus est, proportionatus sit necesse est. Si fortius & in maiori gradu appetere posset aliquis voluptatem ex perfectionibus diuinis hauriendam, quam actu appetit, non tantum Deum amat quantum potest, hinc peccat. Legitime amaturus Deum, tanta appetitione & conatu tanto virium gaudeat de perfectionibus diuinis, quantis potest. Haec appetitio sit maxima eius appetitio, ita ut ipsi impossibilis sit illa alia appetitio, quae maior fuerit amore Dei. Deus amandus est ex toto corde, ex tota anima, ex viribus nostris omnibus, & ex tota mente. Amor ergo Dei, si summus esse debet, sit quoquis momento maxima omnium appetitionum in anima simultanearum, & quidem tanta, quanta

B

per

per maximum conatum omnium virium hominis illo mo-  
mento possibilem existere potest.

#### §. XIV.

Summus gradus amoris Dei, ad quem obligamur, exi-  
stere nequit, nisi Deus super omnia ametur, & hoc est quar-  
tum momentum, quod obseruari meretur §. 5. Lex naturalis  
nos obligat ad infinite multa praeter Deum amanda. Tota vir-  
tus est complexus multorum amorum, quibus nosmet ipsos,  
omnes homines, & omnes creaturas prosequimur. Omni-  
um autem amorum fortissimus & dominans esse debet amor  
Dei, ita ut nullam aliam rem praeter Deum tantum ame-  
mus, quantum Deum amamus. Omnis reliquus amor le-  
gitimus minor esse debet amore Dei. Pone hominem, se  
ipsum, amicum, scientiam & quocunque obiectum legitime  
amandum, fortius intensius & magis amantem quam Deum:  
amor Dei in illo homine actualis non erit tantus, quantus  
per vires huius hominis esse posset. Hinc non amabit De-  
um in summo gradu, qui ipso possibilis est, nec adeo satis-  
faciet legi naturali, licet alias Deum sincere & in magno gra-  
du amet. Nec huic legi conuenienter aget, si aliam rem  
legitime amandam tantum amat, quantum Deum amat.  
Tunc enim per errorem vincibilem, iudicio peruerso, huic  
rei tantam perfectionem tribueret quantam Deo.

#### §. XV.

Quae hucusque de summo gradu amoris Dei breviter  
obseruauimus, omnes ethici debito rigore officia hominis  
demonstrantes postulant. Rarius autem quintum summi  
amoris Dei attributum, quod §. 5. indicauiimus, probari & ob-  
seruari solet. Quemadmodum in proverbiis abiit: soli  
Deo gloria; ita putamus, solum Deum amandum esse, si  
summus

summaus ille gradus amoris existere debet, ad quem lex naturalis omnes homines obligat.

### §. XVI.

Neque physice neque moraliter possibilis est eiusmodi amor Dei, qui omnem reliquum amorem simpliciter excludit. Ipsa natura humana necessitate quadam physica homines adstringit, ad semet ipsos amandos; ad amicos, parentes, liberos, sanitatem, & infinite multa bona, quae neque sunt Deus neque perfectiones eius, amanda. Eundem hunc amorem multarum rerum, quae non sunt Deus, exigit lex naturalis aeterna & immutabilis. Est ergo postulatum Ethicae deceptricis, si quis putaret: amorem Dei summum requirere vel indifferentiam erga omnia etia quae sunt extra Deum, vel odium eoruadem. Summus Dei amor non coniungendus est cum peccatis & vitiis moralibus, cum potius fons omnium reliquarum virtutum esse possit ac debeat.

### §. XVII.

Affirmandum potius est, legem naturalem nos obligare ad nihil praeter Deum amandum, cuius amor non est simul amor Dei; seu ad ita Deum solum amandum, ut omnis reliquus amor sit simul amor Dei, & ut resoluti possit in amorem Dei. Omnis amor Dei, qui est officium hominis, potest diuidi in manifestum & immediatum, & in crypticum seu mediatum. Prioris obiectum proximum est voluptas ex intuitu perfectionum diuinarum oriunda & perfectio Dei externa, quae per eundem, ab homine Deum amante, actuatur; Deus autem cryptice amatur ab homine, qui bono delectatur, quod non est Deus, quod ut effectum perfectionum diuinarum intuetur, & quod ideo per amorem actuare conservare & augere studet, ut simul mediate gloria Dei & eius

B 2

reliqua

◆ ◆ ◆

reliqua perfectio externa promoueatur. Adeoque, si ad summum gradum amoris Dei requirimus, ut Deum solum amemus, postulamus: ut non solum Deum immediate amemus, quantum possumus, sed ut etiam reliqui nostri amores ad unum omnes sint amor Dei crypticus.

### §. XVIII.

Ut veritas huius sententiae pateat, ex natura animae humanae, & ex dependentia omnium bonorum in hoc mundo actualium a Deo, demonstrabimus: omninem verum & legitimum amorem boni finiti posse resoluti in amorem Dei, seu posse esse amorem Dei crypticum. Ad impossibilias omnino nemo obligari potest. Quodsi igitur, vel unicus amor boni aliquius extra Deum actualis, non possit vere resoluti in amorem Dei: adparens tantum esset obligatio naturalis, ad Deum solum amandum. Breuissimi erimus in hac demonstratione, quia supponimus lectorem rerum metaphysicarum gnarum.

### §. XIX.

Anima humana quisvis momento durationis suae adipitet, seu continuo existit in anima existente adpetitio, vel complexus adpetitionum. Omnis actio animae humanae consistit in adpetitione. Iam substantia existens non potest non agere. Ergo defectus omnium adpetitionum esset finis animae humanae, & mors eius. Iam amor est adpetitio maior. Ergo per naturam animae humanae non tantum possibile est, ut quisvis momento durationis eius amor in eadem existat, sed etiam actu anima humana semper amore aliquo versus aliquod obiectum inclinatur: licet anima humana, semper aliquid adpetens, non sibi semper esse possit huius perpetui amoris conscientia. Adpetitio ex obscuris representationibus oriunda etiam est appetitio vera.

### §. XX.

## §. XX.

Iam praeter Deum nihil appetendum & amandum est, nisi quod est verum bonum contingens, & in hoc mundo actuandum. Nihil adpetere & amare potest homo, nisi bonum sibi visum. Si igitur adpetit malum, per errorem iudicat idem esse bonum; hic error si fuerit vincibilis, adpetitio erit illegitima. Hinc patet, obiectum omnis adpetitionis legitimae, adeoque & omnis amoris moraliter recti, praeter Deum esse debere verum bonum. Adpetitio nostra omnis est determinatio virium animae, ad bonum praeui-  
sum actuandum. Iam nihil per vires creaturae actuari in  
hoc mundo potest, nisi quod fuerit pars huius mundi actu-  
alis. Ergo omne obiectum amoris nostri legitimi esse de-  
bet, praeter Deum, bonum contingens in hoc mundo post  
actum adpetitionis exstirum; nisi per errorem homini in-  
vincibilem adpetitio eius quaedam dirigatur in bonum fini-  
tum, quod in mundo hoc existere nequit.

## §. XXI.

Ex Theologia naturali constat, omne verum bonum contingens, in hoc mundo actuale & actuandum, esse effec-  
tum Dei & summarum eius perfectionum. Quicquid in  
hoc mundo bonum est, quatenus est verum bonum, Deus aut  
creavit, aut per concursum vniuersalem actuat. Omnis in-  
fluxus Dei in hunc mundum est actio omnipotentiae, infini-  
tae sapientiae & bonitatis, & omnium reliquarum perfe-  
ctionum diuinorum, testans de suis causis. Hinc omnis le-  
gitimae adpetitionis hominis obiectum est effectus summa-  
rum Dei perfectionum. Nihil praeter Deum amabile & ve-  
re legitimateque amandum est, nisi quod est effectus Dei, &  
quotenus dependet a perfectionibus diuinis; hinc & nihil  
actua-

◆ ◆ ◆

actuale praeter Deum est verum bonum, nisi quatenus est effectus perfectionum diuinarum.

### §. XXII.

Nihil praeter Deum ab homine amandum, nisi quod verum bonum fuerit in hoc mundo actuale §. 20. Iam nullum actuale in hoc mundo est verum bonum, nisi quatenus ut effectus a perfectionibus diuinis dependet. §. 21. Ergo praeter Deum nihil amandum & adpetendum est, nisi quod est effectus Dei, & quatenus a perfectionibus diuinis dependet.

### §. XXIII.

Omnis amor noster legitimus, praeter amorem Dei manifestum, potest esse amor Dei crypticus. Obiectum eius enim est effectus perfectionum diuinarum §. 22. qui nullam veram bonitatem habet, nisi quatenus a Deo dependet. Hinc omnis voluptas, quam ex intuitu eius haurimus, potest ex intuitu dependentiae eius a perfectionibus diuinis ori-ri, hinc potest esse voluptas ex operibus & magnalibus Dei haurienda. Obiectum ergo amoris omnis nostri legitimus, praeter amorem Dei manifestum, potest esse mediate voluptas ex intuitu perfectionum diuinarum in effectibus suis operantium. Adeoque omnis hic amor potest esse amor Dei crypticus. In omnibus legitime amandis, & per omnia legitime amanda, amari potest Deus ab homine vere pio, qui soli Deo gloriam dat, & in omnibus, quae vere cognoscit de hoc mundo, operationes & manifestationes perfectionum diuinarum ardenter intuetur.

### §. XXIV.

Lex naturalis nos obligat ad Deum non nisi in summo gradu amandum. Iam si Deum amans praeterea, vnicum tan-

rum

rum alium amorem suum, non resolueret in amorem Dei, non tantum Deum amaret, quantum potest. § 23. Ergo peccaret. Adeoque Deus solus amandus est. Amor, qui alias peccatum est, legi naturali contradicit; & amor alias legitimus, qui non est simul amor Dei crypticus, legi naturali non tantum conuenit, quantum debet, ergo ex parte est illegitimus. Hinc ad summum gradum amoris, quo Deum prosequi obligamur, praecipue requiritur, ut Deum solum amemus.

### §. XXV.

Demonstrato praecipuo tractationis nostrae momento, de grauitate & summa eius utilitate dicendum est. Cuilibet rerum ethicarum gnaro norum est: pondera obligacionum nostrarum per gradum felicitatis, quem efficiunt, esse aestimanda. Iam omnis nostra felicitas proportionata est gradui virtutis nostrae integrae. Si ergo demonstrari potest, summum gradum & summam rectitudinem moralem omnis virtutis obtineri, si homo Deum solum amat: patebit eudentissime, hunc gradum amoris esse fundamentum summae virtutis, & maximi gradus humanae felicitatis. Tripli argumento haec rem demonstrabimus.

### §. XXVI.

Primo loco facile patere potest, omnes reliquos gradus, ad summum Dei amorem requisitos, facilime & certo obtineri, si Deus solus amat; ita ut neque constantissimus Dei amor, neque fortissimus & intensissimus, neque amor Dei super omnia, in vlo homine existere possit, nisi Deum solum amante.

### §. XXVII.

Qui Deum solum amat, illius omnis appetitio est amor Dei

Dei crypticus. Iam semper in anima humana existit adpetitio aliqua. § 19. Ergo etiam, haec perpetua & continua adpetitio animae, erit amor Dei, in pio Deum solum amante. Adeoque nemo Deum constantius amare potest, quam homo Deum solum amans. Lubenter concedimus, hanc constantem & perpetuam directionem omnium nostrarum adpetitionum, earum quoque quae ex obscuris perceptionibus oriuntur, esse difficillimam, & forsitan superare omnem gradum virium naturae humanae corruptae. Sed quis est qui ignoret, legem naturalem nos obligare ad multa, ad quae actuanda vires naturae humanae corruptae non sufficiunt?

### §. XXVIII.

Omnes nostrae adpetitiones sunt actiones virium nostrarum ad unam omnium. Complexus ergo omnium nostrarum adpetitionum oritur ex omnibus viribus nostris, ex toto corde & ex tota anima, hinc est fortissima, & intensa maxima adpetitio, quae per omnes vires nostras possibilis est. Amor Dei, in homine eundum solum amante, consistit in complexu omnium adpetitionum eius, quarum singulae sunt vel amor Dei manifestus vel crypticus. Hinc Deum solum amans amat eundem simul ex omnibus viribus suis, & ex toto corde, adeoque fortissime. Tunc enim, tota vis animae viua quoquis momento determinatur, ad actuandam proportionatam voluptatem, ex Deo eiusque perfectionibus hauriendam. Potestne quis intensius fortiusque Deum amare?

### §. XXIX.

Deum solum amans non potest non eundem super omnia amare. Amor enim Dei in eiusmodi homine est congregatum omnium eius adpetitionum determinatarum ad actu-

actuandam summam voluptatem ex intuitu perfectionum diuinarum oriundam. Iam fieri nequit, vt omnes adpetitiones, in aliud quocunque obiectum praeter Deum, dirigantur. Nullum ens, praeter Deum, est causa efficiens omnium bonorum quae adipetimus. Hinc amor Dei in homine Deum solum amante ex pluribus adpetitionibus compositus est, quam omnis alius amor, quo aliam rem praeter Deum prosequitur. Quid quod! ipse hic amor est in eodem pars amoris Dei. Ergo Deum solum amans in maiori gradu eundem amat, quam omne aliud obiectum, quod legitime amat. Patet ergo ex hucusque dictis, summam rectitudinem amoris diuini, ad quem lex naturalis obligat, non solum impossibilem esse, si Deus non solus amat, sed etiam certo obtineri, si Deus solus amat.

### §. XXX.

Ad demonstrandum pondus obligationis ad Deum solum amandum, secundo loco probabimus: summum gradum omnis pietatis dependere ab hac obligatione, ita vt nemo nisi Deum solum amans in maximo gradu pius esse possit. Summum bonum hominis, seu summa eius felicitas, consistit in tanto gradu pietatis, quantum per omnes vires hominis mediante concursu diuino obtineri potest. Summa pietas est complexus omnium virtutum piarum, & omnis virtus pia est modificatio amoris, quo Deus amat. Obedientia Deo praefanda, gratus animus, timor Dei, fiducia in Deo collocanda, & quae sunt reliquae virtutes ad religionem pertinentes, sunt diuersae species & modificationes amoris Dei. Qui Deum solum amat eius omnis adipetitio, omnis inclinatio mentis, omnis affectus, spes, fiducia, gratitudo, timor, & quae sunt reliquae, sunt amor

C  
Dei



Dei vel manifestus, vel crypticus. Qui ergo solum Deum amat, eo ipso omnia reliqua officia erga Deum in summo possibili gradu praestat; adeoque pietas eius est tanta, quanta per legem naturalem requiritur.

### §. XXXI.

Denique summa grauitas obligationis ad Deum soluta amandum inde patet, quia sine eadā, vnitā omnium virtutum, seu vnitā in vniuersa rectitudine omnium actionum hominis liberarum, impossibilis est. Ad summum gradum omnis perfectionis requiritur vnitā. Sit quodus simplex duntaxat & vnum. Iam omnia nostra officia prae-ter religionem sunt officia, vel erga nosmetipso, vel erga alios homines, vel erga alias res finitas. Non sufficit ad summam rectitudinem moralem, & inde oriundam maximam hominis felicitatem, si haec officia separatim, & per viarum multiplicitatē, obseruantur. Sed vnum mo-rale constituere debent. Habeant igitur centrum commu-nē, ex quo ceu circuli radii emanent; tam arcte & inse-pabiliter cohaereant, vt sint vnum idemque. Quodsi igi-tur quodlibet horum officiorum fuerit amor Dei crypti-cus, tunc erunt vnum, tunc efficient systema morale apte-cohaerens, & perfectissima vnitā actionis per omnes sec-nes integrae vitae humanae obtinebitur. Si hoc demon-strauerimus, tunc perorabimus.

### §. XXXII.

Omnia officia erga nosmetipso sunt modificatio-nes atque effectus philautiae ordinatae, ita vt omnis virtus erga nosmetipso nihil aliud sit, quam haec philautia. Iam non licet nos amare, nisi quatenus vere boni sumus, & nihil per philautiam ordinataam in nobis ipsis continuo prodi-

producendum, nisi quod fuerit vera perfectio contingens, per diuinam prouidentiam actuanda. Ergo omnis philautia ordinata oriri potest & debet ex voluptate, quae dependet ab intuitu effectuum perfectionum diuinarum in nobis metiis producendorum. Adeoque omnis philautia ordinata esse potest ac debet amor Dei crypticus. §. 23. Quod si fuerit, omne officium erga nos ipsos erit officium pium, & amor Dei erit fons omnium horum officiorum.

### §. XXXIII.

Omnia officia erga alios homines sunt diuersae modificationes & diuersi effectus philanthropiae ordinatae. Iam nihil in aliis hominibus amandum & adpetendum est, nisi quod fuerit vera perfectio contingens, quae in hoc mundo actualis esse potest, quaeque adeo est effectus prouidentiae diuinae, secundum leges summae sapientiae, bonitatis, omniumue perfectionum diuinarum semper agentis. Ergo obiectum omnis philanthropiae ordinatae est effectus omnium perfectionum diuinarum, adeoque omnis haec philanthropia resolui potest ac debet in amorem Dei §. 23. ita ut omnia officia erga alios homines, in homine eadem praestante, esse possint & debeat effectus amoris summi, quo Deum prosequitur.

### §. XXXIV.

Tandem omne officium erga alias res finitas est modificatio & effectus amoris, quo has res legitime amamus. Quumque nihil in illa alia re finita amandum & adpetendum sit, nisi quod fuerit vera perfectio contingens, per prouidentiam diuinam actuanda: omnis harum rerum amor legitimus esse potest ac debet amor Dei crypticus.

pticus. §. 23. & omne officium erga alias res finitas ex amo-  
re Dei emanare potest ac debet.

§. XXXV.

Ex hactenus dictis pater, summum amorem, quo  
Deum solum prosequitur vere pius, esse in eodem simul  
summum gradum rectitudinis moralis omnium suarum de-  
terminationum liberarum, adeoque in eodem consistere  
summam eius felicitatem. Sit ergo vnum illud necessari-  
um, ad quod, saltim tandem aliquando, adspirare laboret  
homo rerum suarum satagens: amor summus, quo  
Deum solum prosequitur.

F I N I S.



CANDI-

# CANDIDATO HONORATISSIMO

S. D.

## P R A E S E S.

Non possum non, CANDIDATE HONORATISSIME, ex animo TIBI gratulari summos honores, quos ex decreto amplissimi philosophorum ordinis, post examen solemne, quod sustinuisti, & habita disputatione inaugurali, in TE conferam. Liberali animo recipias praemium laborum academicorum, quos strenue superasti. Ex quo tempore noster factus es, ex eo tempore non tantum id egisti, ut studio sacrarum litterarum studium philosophiae iungeres feliciter; sed ut etiam veritatum grauissimum studium, morum honestate, egregie illustrares. Quare non solum summo gradu honorum academicorum TE dignum iudicavit facultas amplissima, sed etiam sperat & plane confidit, TE in posterum quoque talem futurum, qualis esse debet philosophiae magister, veritati nempe & inde pendentि virtuti per omnem viam studens. Redeas igitur in patriam bono omnię! Vtere eruditioне, qua ingenium instruxisti, ad bene merendum de TEMER ipso, de TVRIS, de patria & quae primo loco nominanda erat de ecclesia. Quod ad me adtinet, si non male de TE meritus fuerō, me TVI rerumque TVARVM studiosissimum amare perge. Vale. Dedi in Fridericiana Regia d. 20. Iul. 1764.

C 3

VIRO

V I R O  
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
CAROLO FRIDERICO BUTTNERO  
SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM  
CANDIDATO DIGNISSIMO

I O A N N E S M A R T I N V S H E H N  
H I L D B U R G H V S A N V S  
S A C R A R V M L I T E R A R V M C Y L T O R

N

Nullas vñquam literas maiore animi delectatione exaraui, sva-  
vißime BUTTNERE, quam has, quas tibi mittere audeo. Quum  
enim te, vt scis, maximo amore prosequar, illiusque tibi publi-  
ce significandi satis diu frustra anquisiuerim occasionem: facile tv  
quidem ipse perspicere poteris, quam iucundum mihi sit tempus  
illud, quo te, id est, exoptatissimum amicum, ad splendidissi-  
mum laudis honorisque aditum properantem video. Nolo equi-  
dem laudum TVARVM praecomen agere: sed, quum sciām, quan-  
to opere omnibus probentur ii, qui ingenium suum in illis ma-  
xime literis gnauiiter exercere solent, quae de grauibus rebus praec-  
cipiunt, vitaque in primis rite formandae rationem docent;  
optimo iure singularem illam, quam tibi comparasti, eruditio-  
nem, honoresque illi iam dudum debitos, ex animo gratulari pos-  
sum. Quam bene enim academicum tempus a te transactum  
sit, vel sola TVA de nostro erga Deum amore monstrare potest  
doctissima dissertatio. Ipsum supremum Numen deuotis precibus  
implorabo, vt te semper seruet incolumen, te tueatur, augeat,  
brnet.

ornet. Vale, DULCISSIME AMICE, resque TVAS omnes age fe-  
liciter. Dab. Haleae Magdeb. XIII. Kalend. August. MDCCCLXIII.

Vale.

---

V I R O

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
AMICO SVO AESTVMATISSIMO,  
CAROLO FRIDERICO BVTTNERO,

S. D. P.

CHRISTIANVS ERNESTVS KVHZ.

Temporis, quod tecum, AMICE SVAYISSIME, hac in academia, dextro quadam Numinis auspicio, degere, mihi felici, contigit, quamvis breve nimis quidem illud spatium, tamen permagnae mihi utilitati fuisse, inficias ire nequeo. Non enim modo dulcissima que eius, ex amico TVO coniunctu, duxi oblectamenta, sed etiam praestantissimo eximiae Tuae virtutis exemplo me stimulatum, vtilibusque, quibus me honorasti, conuersationibus atque colloquiis, saepissime quoque instructum esse profiteor. Quare illa, quae ex voto meo se offert exquisissima sane occasione, vt non utr, TIBIQUE, PRAENOBISSIME CANDIDATE, gratissimam atque deditam mentem praestandi, mihi ipsi vt non recusem, facere minime possum. Dignis itaque & quae exstant maximis praemis, quibus accipiendis te alma Fridericana satis ornatum & optime meritum tentauit, inuenit, adprobavit, minima quidem mea congratulatione haud nolui adesse; vt publice quoque eum TIBI ostendere animum quaeam, quem sincerum quemque TUI

aman.

mantissimum, satis iam satis cognitum habes atque expertum. Fao-  
xit itaque Summum Numen, ut fausta TIBI, fortunata & prosper-  
rima omnia ea eueniant, quae in illo honoris & in philosophia  
summo dignitatis gradu, TIBI METIPI, boni & emolumenti pro-  
misisti. Macte virtute & eruditione, redi in patriam, praemii  
illis condecoratus que TIBI non, nisi expers meritorum TVO-  
RVM, vñquam poterit denegare. Redi & fruere parentum &  
amicorum TVORVM dulcissimi sane amplexibus, messemque quasi  
colligas vberimam operum omnium atque laborum, quos sus-  
cipere & sustinere, quibus aptiorem TE proposito TVO scopo  
reddere potueris, lassus numquam, neque odiosus cessabas. Re-  
di, ad Reipublicae ornamentum; ad ecclesiae Diuinæ cultum san-  
ctissimum; ad multorum, qui TVIS auxiliis atque solariis egent,  
solamen & auxilium; ad bonorum denique omnium socium sem-  
per exoptatissimum. Quibus, quum summus ille rerum omnium  
arbiter, ardentissimis meis annuet votis non minus, quam exspe-  
ctionibus; perfusum TIBI semper habeas velim, maximum ex  
prosperrimo illo, omnium eorum euentu, gaudium me esse ca-  
pturum. Ceterum vale & absens numquam obliuiscaris rogo,  
oro, obsecro, TE in me amicum habere omnium sincerissimum at-  
que nominis TVI deditissimum, obseruantissimum. Dabam

Halaë salicae IV. a Calend. Sextilis

A.C. MDCCCLXIV.



**ULB Halle**  
002 612 240

3



SL



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

DISSESSATIO INAVGVRALIS PHILOSOPHICA,

D E

# SVMMO GRADV AMORIS

Q V O

## DEVM PROSEQVI OBLIGAMVR,

Q V A M

SVMMI NVMINIS AVSPICIIS

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,

P R A E S I D E

## GEORGIO FRIDERICO MEIER,

PHILOSOPHIAE PROFESS. PVBL. ORDIN.

ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALI

P R A E C E P T O R E A T Q V E P A T R O N O

A E T E R N V M P I E C O L E N D O ,

A D

V M M O S I N P H I L O S O P H I A H O N O R E S A C Q V I R E N D O S

D I E J V L I I M D C C L X I V .

H . & L . C .

P U B L I C E D E F E N D E T ,

A V C T O R

## C A R O L V S F R I D E R I C V S B V T T N E R ,

P O T S D A M I E N S I S .

HALAE MAGDEBURGICAE ,

LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL .

